

se abdicante, primarium illud in Ecclesia Noriberg. Antistitis officium vacaret. Ad quod munus *Ecclesia Noribergensis & vicinarum Inspectoris* [quem titulum ex Superintendentis vocabulo exsculpsit] ita fuisse admotum Christoph. Pezelius scribit, a) ut eum Philippus secum Noribergam adduceret, & Reipubl. Amplissima, ut Doctorem eximium, & controversiarum Ecclesia recte intelligentem, commendaret. Quæ ut sunt in confesso & apri- co posita, quemadmodum ex Diff. de Leonh. Culmanno memo- ria repetere possumus: ita ambiguum reddidere Indices Mini- strorum Ecclesiæ Noricor. hinc inde in MSCtis confarcinati, (quorum quidam diu post & anno demum LX. sequente functionem illam adiiisse perhibent b) quo tempore eam adie- rit spartam. Nos, ut brevibus dicamus, quod sentimus, sta- tim a discessu Culmanni in ejus locum suffectum credimus, & A. 1555. exeunte vocatum, inchoatōque A. 1556. munus exorsum esse non dubitamus: idque putamus ex factis in Ecclesia hac præci- puis ad oculum posse demonstrari. Immo vero ex Epistolis Philippi amplius colligi posse arbitramur, jam ante, quam de Cul- manni obstinatione animi cogitaretur, spem factam esse, ejus- dem Patroni commendatione, non mediocrem, de Helingo in Ministerii Eccl. Norib. ordinem cooptando. Nam quæ ille ad Hier. Wellerum, Helingo nostro amicum, breviter perscripse- rat d. 22. Augusti 1555. *Senatam Noribergensem de Mauricio nondum respondisse, ac moræ duplicem causam esse posse: partim, quod litteræ nuper demum missæ sint: partim vero, quod interea certamen ibi creverit, Culmannoque mandatum sit, ne con- tionetur, quæ res deliberationi fortassis moram attulerit;*

C 3

ca

- a) Obj. & Respons. Philipp. Part. II. Præf. B. 5. (b)  
 b) Immo, quod miramur, ipse etiam B. Saubertus in *Histor. Appendice Ephororum Pastorumque ad D. Seb. & Laur. post ortum lucis Evangelicæ, Concionibus Valedict. & Iniat. a Laurent. cœtu ad Sebald. subjecta, ubi A. demum 1566. munus eum hoc perhibet adiiisse. Nisi ex errore typi Annus 66. pro 56. sit expressus: quod proæmodum credimus.*